

Cum vero impii non possint sufferre pœnas illas intensivè infinitas, necessum est ut perferant extensivè infinitas, hoc est, infinitas duratione.

XV. *Ab identitate cruciatuum malè colligitur identitas pœna.* Nam licet pii & impii variis cruciatibus exerceantur, tamen illi non habent rationem pœnæ propriè dictæ in piis: quia non sunt satisfactio pro peccato, sed vel castigatio, vel probatio, vel martyrium. Alia est ratio cruciatuum, quos impii sustinent.

CAPUT XIV.

De libero arbitrio.

I. *A statu ad statum iniqua est argumentatio.* Quadruplex autem hîc cernitur status hominis: videl. innocentia, miseria, gratia, & gloria. In primo præditus fuit homo viribus liberi arbitrii eximiis: in secundo vires illæ sunt partim amissæ ratione vitæ æternæ, partim debilitatæ ratione hujus vitæ: in tertio instaurantur vires ad bonum spirituale paulatim: in quarto restituntur planè in integrum.

II. *Ab essentia libertatis ad illius eminentiam non valet argumentum.* Ratio est; quia libertas est essentialis proprietas intellectus